



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propugnaculum: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Ferdin. Valdes Ar. Hispalensis 5

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

*Societas
contra fal-
sos rumores
propugna-
tur.*

5. * A FERDIN. VALDES Supremo tunc Quaestore, dein Archiepiscopo Hispalensi, literis ad Caesar-Augustanos Quaestores: Quoniam (inquit) rumor increbuit hic, alibi que Caesar-Augusta, aliisque in Urbibus Aragonij Regni aliquos è Societate IESV viros apud Sacrae fidei Quaestores in vinculis detineri, mendatium, quo pietas, & potestas eorum Ordinis impotentius impetitur ad fraudem, & perniciem plurimorum, è re esse censuimus in id enixius incumbatis, vt Praesules, ceterosque viros primarios, quos monendos esse censebatis sine strepitu, sed omni data opera moneatis, à veritate alienum omnino, quod vulgus immurmurat Societatis viros nostris carceribus mancipatos, quin imo ij sunt simul omnes, ac eorum singuli, vt tum moribus, tum operibus sibi gloriosi, Deo obsequentes in studio, studioque absolutissimæ sese virtutis exercent. Datis Vallisfol. Pridie Idus Iunij, anno à partu Virg. 1558. Ita apud Euseb. vit. B. Borg. lib. 2. cap. 31. fol. 172.

*Socij ope-
ribus sibi
gloriosi, &
Deo obse-
quentes.*

*De Socie-
tatis inno-
centia te-
stimonium.*

AB EODEM: Qui cum in Hispania Regnis aliqui spargerent Theatinos (ita Societatis homines vocabant) Luthero ipso deteriores, auctoritate publica diluendam infamiam ratus, egregium de pietate Societatis edidit testimonium. Id è falsis rumoribus Deo lucrificante, vt familia huius innocentia ad abolendas & praesentis, & praeteriti suspensiones temporis, seuerissimi illius iudicij testificatione tum maxime palam fieret. Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 2. n. 124.

*Societas
emissa ca-
litis ad
horum
temporum
ruinas re-
paranda.*

*Eius filij
Antistitum
coadiutores
primaque
Instrumenta
diuinae
gloriae.*

6. A BARTHOL. DE MAERTYRIBVS Archiepiscopo Bracharensi ex generosa S. Dominici familia illustri germine, Praesuleque omnibus Evangelicae sapientiae luminibus claro. Is vt primum designatus Antistes est ad Lainium Generalem ita scripsit: Se multis ab annis sanctae eius Familiae summa deuotione & dilectione deuinctum esse: quam proculdubio crederet calitis emissam ad horum miserabilium temporum ruinas & calamitates reparandas. Itaque cum primum adactus esset (vere enim adigendus ex obedientia fuit) à Praeside suo onus Ecclesiae Bracharenfis subire, mentis oculos coniecisse in Patres Sacrae Societatis,